

presentacionem per nos instituantur, ac instituti destituantur et remoueantur quociens fuerit oportunum. Racione hospitalitatis premaxime quam a trans-euntibus continue paciuntur, ad quam sustentandam ipsarum alias non suppeterent facultates, ac connexitatis et vicinitatis ecclesie fodhø⁵⁾ sepe-dicte, que sine omni dispendio de claustro adiri potest in quantum possumus et debemus auctoritate ordinaria dispensamus. Ita eciam quod absque vi-carii alicuius perpetui institutione seu destitucione regantur ecclesie memo-rate, sicut regi consueuerant ab antiquo, ad institutionem et destitucionem ni-chilominus ordinariorum et presentacionem prelatarum vt superius est ex-pressum. Ceterum largiciones munificas in concessione decimarum a prede-cessore nostro, domino thyrgillo bone memorie predictis dominabus indultas et concessas in prouinciali concilio apud mansionem nostram ykæ Anno domini Millesimo ducentesimo tricesimo tercio celebrato, domino Olauo Ar-chiepiscopo vpsalensi⁶⁾ cum suffraganeis suis, videlicet Benedicto lincopensis⁷⁾, Stenaro scarensis, et Magno arosiensis, ecclesiarum episcopis, predicto concilio presidente. de bonis ipsarum silicet fundis ecclesiarum fodhø⁸⁾ et helgharnæ, ac curiis infrascriptis, Tuna⁹⁾, hosaby¹⁰⁾, snyteberghæ¹¹⁾, lanzhamar, colaholm, gryndæ¹²⁾, et eedhby¹³⁾, cum coloniis Ræwngæ¹⁴⁾, et skanunggæ¹⁵⁾, auctori-tate qua supra ex concilio et consensu nostri capituli, ratificamus ac tenore presencium confirmamus Ne in possessione, et percepcione decimarum earundem¹⁶⁾, per quemquam successorem nostrum in posterum molestentur cum memoratas decimas ad centum annos et vltra, ita quod in contrarium alicuius memoria non existat absque interruptione qualibet habuerant et leuauerant pacifice et quiete. In premissorum igitur euidenciam et firmita-tem sigillum nostrum vna cum sigillo capituli nostri prenotati, presentibus duximus apponendum. Datum strengenæs Anno domini Millesimo. CCC^o. vn-decimo in cena domini.

Båda sigillen, ehuru insyddda i tjockt tyg af linne och ull, äro krossade.

1789.

1311 d. 8 April.

Upsala.

Ärkebiskop NILS i Upsala dömmet kättaren Botolf af Östby i Gottröra socken till bålet, för det han andra gången, år 1310, hade förnekat Christi lekamens närvaro i altarets sakrament, och i denna förvillelse halsstarrigt fortfarit; hvilken dom lemnas till execution åt den verlds-liga makten.

Orig. på perg. i Kongl. Bibl.

In Nomine domini amen Anno eiusdem Millesimo CCC^o. vndecimo in Cena domini in Ciuitate vpsalensi. Nos NICOLAUS diuina miseracione archie-

5) fodhø. — 6) vpsalensi archiepiscopo. — 7) lincopensis. — 8) fodhø. — 9) Tunæ. — 10) Hw-sæby. — 11) Snytæberghæ. — 12) grindæ. — 13) Eedby. — 14) Rewngæ. — 15) skanunghæ. — 16) earundem decimarum.

piscopus vpsalensis. Cum olim botulphus de østbý, in parochia gutturrør in dampnatam heresim incidisset dicendo sacramentum corporis et sanguinis christi nullum esse. venerabilis pater dominus Nicolaus bone memorie, antecessor noster archiepiscopus vpsalensis ipso botulpho coram se vocato, et eandem heresim recognoscente, et tandem suum errorem reuocante et abnegante penitenciam fecit imponj salutarem. Jam vero anno domini Millesimo CCC^o Decimo. In die pasche. Cum dictus botulphus inter alios ad communicandum ad altare ex more procederet, et dominus Andreas Curatus in gutturrør, ei sacram hostiam ad communicandum porrigeret, inquirens ab eo si hoc crederet esse verum corpus christi, quia prius audierat ipsum hoc negasse. Respondit jdem botulphus quod si esset verum corpus christi solus sacerdos diu illud consumpsisset, adiciens quod nollet comedere corpus christi, sed alia que posset obsequia prestare deo. et reddens rationem sui dicti jmmo verius errorem euomens jncongruam similitudinem applicando, quod si quis comederet corpus alterius hominis, male sibi redderet si posset, multo forcus deus, quando venerit ad suam potestatem, et alia multa non solum blasphema, verum eciam heretica et insana. Vnde memoratus dominus andreas ad nos veniens dictum botulphum coram nobis citari pecijt. et licet auctoritate nostra publice et legitime citatus fuerit, Tamen coram nobis. male sibi conscius, noluit comparere. Tandem agentibus nobis visitacionis officium apud ecclesiam Nerdhatunum. Eodem anno domini quo supra proximo. jn die beati Martini confessoris, Conuenientibus populis, ut moris est tum propter dicti festi sollempnitatem tum propter nostram presenciam, a casu affuit inter eos eciam ille sathan. botulphus videlicet memoratus. Cum autem ad jnsinuacionem memorati domini andree, tunc ibidem existentis, ad nostram fuisset adductus presenciam, et requisitus a nobis vtrum dixisset ea que superius sunt expressa. Respondit. Ego dixi. nec diffiteor huiusmodi me dixisse. Vt autem de hiis et aliis plenius possemus cognoscere veritatem contra ipsum citari fecimus predictum dominum andream, et parochianos suos de gutturrør, ut coram nobis apud Ecclesiam skeptuner, comparerent, perhibitori super premissis testimonium veritati contra botulphum supradictum. Quibus ibidem comparentibus coram nobis, videlicet, Petro de Rikkabý. hulmuasto de Nyfsta. Thoma de rikkaby. Olauo de nessium. Lifstano de østbý. Laurencio de gutturrør. Jngiualdo de Nessium. Olauo de mædhalby. andrea de nessium. Neskonungo de mædhalby andrea et alio andrea. de rikkabý. ac laurencio de Nyfsta prestito ab eis de veritate dicenda juramento, Eos per Reuerendum virum Fratrem jsraelem priorem sictunensem et dominum johannem canonicum nostrum vpsalensem, examinari fecimus diligenter secundum formam canonum, et eorum dicta in scriptis redigi, ac postmodum

ea in nostra et predictorum testium ac aliorum plurium fidedignorum presencia legi fecimus et publicari . Per que sufficienter probatum extitit, antedictum botulphum, membrum(!) quidem dyaboli, supradicta omnia, in ipsorum testium, et fere omnium parochianorum de gutturrør presencia, licet diuersis temporibus dixisse publice ore nephario et blasphemio. Cumque ipsum in custodia fecissemus detineri, et a quibusdam sibi diceretur, quod si in hoc errore persisteret comburendus esset, ipse in suo errore pertinaciter obduratus, respondit, quod paruo tempore transiret ignis ille, Exurgentes in virtute ihesu christi, sepredictum botulphum, qui iam secunda vice in supradictam dampnatam et detestandam heresim est prolapsus, auctoritate ordinaria hereticum iudicamus in hiis scriptis. Relinquentes eum iudicio curie secularis legitime puniendum. Actum anno loco et die prenotatis.

På frånsidan. Littera de apostasia botulphi heretici.

Sigillet bortfallet; de hvita silkestrådarna, hvarpå det hängt, äro kvar.

1790.

1311 d. 10 April.

Upsala.

FOLKE JONSSON bifaller förflyttandet af en i Sko genom Magnus Jonsson stiftad vicaria, till Upsala domkyrka. (Se N:o 1737 och 1348).

Orig. på perg. i Kongl. Bibl.

Omnibus presentes litteras Inspecturis, FULCO JONSSON salutem in domino sempiternam. Nouerint vniuersi quod cum olim vir nobilis, dominus Magnus jonsson Quandam perpetuam vicariam fundasset de bonis suis, Frøsaaker, et Fullabro, ordinans quod si Monasterium in sko condiciones in fundacione dicte vicarie appositas non seruaret, predicta vicaria cum suis condicionibus ad vpsalensem Ecclesiam transferretur, jamiisque succedente tempore, de voluntate abbatisse et conuentus in sko, ac communi consensu heredum dicti domini Magni ad hoc accedente, dicta vicaria cum suis condicionibus et oneribus ad ipsam vpsalensem Ecclesiam est translata, Nos dicte vicarie fundacionem et translacionem pro nobis et nostris heredibus inperpetuum firmam et ratam volumus obseruare, In Cuius rei Testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum. Datum vpsalie anno domini Millesimo. CCC.XI^o, In vigilia pasche.

Sigillet bortfallet från den ur brevet klippta remsan.